


393. A 5634

DE ORDINE SACRO MILITARI
CRUCIFERORUM s. TEUTONICORUM
EJUSQUE IN SUECIA POSSESSIONIBUS.



5393.

DE ORDINE SACRO MILITARI
CRUCIFERORUM s. TEUTONICORUM

EJUSQUE IN SUECIA POSSESSIONIBUS.

DISSERTATIO HISTORICA.

QUAM

VENIA AMPL. FACULT. PHILOS. UPSAL.

PRÆSIDE

DOCT. **JOH. HENR. SCHRÖDER**

REG. ACAD. BIBLIOTHECARIO, HISTOR. LITTER. ET ARCHAEOLOG. PROF. REG. ET ORD.
NUMMOPHYLACII ACAD. PRAEFECTO, REG. ORD. A. M. HISTORIOGRAPHO, EQUITE
REG. ORD. DE STELLA POLARI, REG. ORD. DANEBROG. NEC NON REG. ORD. GRAEC. DE
S. SALVATORE, REG. ACAD. LITT. HUM. HIST. ET ANTIQU. STOCKH. REG. SOCIET.
SCIENT. UPSAL. REG. SOCIET. SCIENT. ET LITT. HUM. GOTHOB. REG. SOCIET. HIST.
SCAND. STOCKH., REG. SOCIET. SCIENT. NIDAROS. REG. INSTITUT. AMST. REG.
SOCIET. ANTIQUARIOR. HAFNIENS. ET EDINBURG. INSTITUT. ARCHAEOLOG. ROM. REG.
SOCIET. ACAD. SABAUD., SOCIET. LITT. ET ART. MITAV. AC FLORENT. HIST. THEOL.
LIPS. LAT. JENENS. MEMBRO ET CORRESP., NEC NON SOCIET. LITT. ISL. HAFNIENS.
CET. MEMBRO HONORARIO.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

P. P.

AUCTOR

FRIDER. JOH. LEONH. WULFF

WESTMANNO-DALECARLUS. STIP. GUTHERMUTH.

IN AUDITOR. GUSTAV. DIE IX. JUNII MDCCGXLV.

H. P. M. S.

UPSALIÆ

WAHLSTRÖM ET LÅSTBOM.

Tres clariores in Palæstina fuerunt Ordines, scil. *Hospitalariorum S. Johannis Hierosolymitani, Militum Templi et Fratrum Hospitalis S. Mariæ Teutonicorum*, votis atque militia sacra ad ecclesiam contra infideles tutandam adstricti. Variam in Palæstina subierunt fortunam, tandemque a Saracenis expulsi per omnes ferme Europæ regiones sese diffuderunt. *Hospitalarii* in insulis maris mediterranei ægre, quo sedem figerent, inveniunt. *Templarii* vero ferali *Clementis P. V.* decreto in Concilio Viennensi prorsus deleti sunt.

Ordinis *Teutonicorum* domus hospitalis, Hierosolymis an. 1128 instaurata, prima fuit origo¹⁾. Crescente indies numero eorum, qui officia miseros curandi eosque ab impiis hostium manibus tuendi susciperent, societas equitum, exemplo a prioribus duobus Palæstinæ ordinibus petito, legibus ac votis obstrictorum vestemque indutorum insignem, brevi temporis spatio exstitit, quæ Ordinis *Fratrum Hospitalis S:æ Mariæ Allemannorum Jerusalemiani* nomen invenit. In initio rebus gestis duorum reliquorum ordinum, præcipue *S. Johannis*, cum quo et eundem præfectum et commune *Hospitalariorum* nomen habebat, fere obumbratus, totus Ordo, Palæstina denuo a Saracenis recuperata, forsitan ad nihilum recidisset, nisi eidem in obsidione *Acrae* anno 1190, nova domo hospitali Teutonice strenuo civium quorundam Bremensium et Lubccensium studio ac auxilio ibi constructa, recentes vires additæ essent. Qua re refectus

¹⁾ Cfr *Voigt, Geschichte Preussens, T. II. p. 637.*

Ordo tum aliorum in se convertit principum studium, tum inprimis *Frederici*, Sueviæ Ducis, tunc exercitui Teutonico præfecti, cujus auctoritate legibus regulisque, a *Clemente P. III.* postea confirmatis, instructus est. Ex quo tempore Ordo Fratrum Teutonicorum, frequentia sociorum donisque largis identidem auctus, sensim in tantas crevit opes, ut non reliquos modo ordines Palæstinenses splendore gloriæ superaret, sed olim etiam ad res Europæ civiles, ad fata atque eventus gentium terrarumque maximum haberet momentum, Europæque unicum illud atque illustre Ordinis, regnum quoddam universum obtinentis, exemplum præberet.

Dum agmina innumera ex majore Europæ parte Orientum versus, ut barbarorum manibus terram sanctam eriperent, exeunt, idem ardens religionis studium, edictis Pontificiis remissionem peccatorum promittentibus insuper incitatum ¹⁾, septentrionales etiam Europæ gentes ad pugnam religionis causa suscipiendam impulit. Nec illis opus fuit procul a patria contra infideles Asiæ incolas militiam sequi: satis gentilium, quos bello peterent, in propinquo habuerunt. Sic *Succos*, quos, quamvis singuli vel summo loco nati ad terram sanctam pergerent ²⁾,

¹⁾ Alexander, P. III. suis in bullis incolas Septentrionalis Europæ ad bella contra Gentiles eis finitimos exhortatus est, unicuique hujusmodi bellorum participi largas promittens indulgentias. v. *Celse*, Bullar. p. 55. sq. *Lagerbring*, Sv. Rik. Hist. T. II. p. 526.

²⁾ Cfr. *Rühs*, Sv. R. Hist. T. I. p. 172.

tamen longum spatii intervallum impediit, quo minus magnas eo mitterent copias¹⁾, animum ad incolas trans Sinum Bottnicum et Mare Balticum habitantes convertisse eosque ad fidem Christianam adegisse colligimus. Conversio *Fennorum* regionisque eorum occupatio multæ fuit operæ nec nisi tribus atrocibus bellis perfecta est. *Estlandiam* Johannes I Sverkeri filius bello adgressus est²⁾, quo peracto doctrinam Christianam ibi promulgandam curavit. Quod ille inchoavit, id postea Waldemarum II, Danorum Rex, peregit.

Livonibus Evangelium Christi primo a Meinhardo, sacri ordinis viro, quem mercatores Bremenses secum duxerant, placide fuit adnuntiatum. Labans vero postea religio *Albertum*, Episcopum Livoniensem, ad Ordinem Militarem, ad exemplum Palæstinensium, instituendum impulit. Hoc modo *Fratres militiæ Christi*, etiam *Ensiferi* appellati, an. 1201 orti sunt³⁾.

Borussiam etiamtum gentiles incolebant, inter quos tamen Duces *Masoviæ*, episcopis hortantibus, religionem Christianam vi et armis propagare conati sunt. Incolis vero contumaciter reluctantibus, Dux *Conradus*, auctoritate *Christiani*, Episcopi Culmen-

¹⁾ *Lagerbring*, l. c. T. II. p. 285, testes externos at vix idoneos appellans, exercitum Suecanum obsidioni Acræ an. 1190 interfuisse ibique virtute ceteris præstitisse, narrat. Si vero talis exercitus omnino adesset, certe valde exiguus fuit.

²⁾ *Dalin*, Sv. R. Hist. T. II. p. 181.

³⁾ *Voigt*, l. c. T. I. p. 407. seqq.

sis, auxilium a Pontifice Romano petiit. Tum *Fratribus Teutonicis Ecclesiae S:æ Mariæ Jerusalemitanæ*, ut tunc appellabantur ¹⁾, quibus *Herrmannus de Salza* præfectus erat, id mandatum est negotium, ut bellum contra infideles, quod in Palæstina, ut destinatum erat, gerere non jam potuerunt, id in Borussia conficerent. Ex historia satis constat, quomodo Ordo ille, usque ab anno 1228 ad id bellum omni studio incumbens, intra annos LV terram illam, quam, animo et cogitatione præoccupatam, Pontifex Rom. ei jam antea addixerat, sub potestatem suam redegerit, quomodo eam barbarie liberarit, disciplinam et mores emendarit, quomodo denique trans fines Borussiae imperium ulterius promoverit. Jam an. 1237 Ensiferi, horribili clade a Lithuanis accepta, additisque aliis angustiis, societatem cum Ordine Teutonicorum impetrarunt. Imperium hoc modo in australibus orientalibusque maris Baltici oris firmatum Ordo postea etiam trans mare extendere conatus est. Quæ incepta nostræ etiam patriæ nonnihil molestiæ attulerunt. Nec nobis antea cum eis commercium defuit. Satis enim constat, privatos complures homines, studio tunc temporis communi pro religione pugnandi flagrantibus, eo profectos esse. Sic legimus, Domicellum *Carolus*, *Ulfonis* filium ex

¹⁾ Aliis temporibus aliter sunt nominati, ut "*Militia quæ de Teutonica domo appellatur, Ordo Militum Teutonicorum, Ordo Allemannorum, Hospitalarii S. Mariæ*", cet. In annalibus Suecis ubique nominantur *Milites Cruciferi, Domini de Prussia, Milites Dei, "Guds Riddare."* Cfr. *Er. Olai* inter *Script. Rer. Suec. T. II. Sect. I. p. 115. passim.*

stirpe Folkungorum, de rebus suis in patria desperantem, Borussiae petiisse, ibique, postquam Militibus Dei¹⁾ sese addixerat, in pugna contra Lithuanos honestam mortem occubuisse. Cruciferos deinde opportunam in res septentrionis majore vi ac pondere invadendi occasionem arripuisse, ob eamque causam Gothlandiam an. 1388 ob pecuniam, quam Alberto Regi suppeditaverant, pignori accepisse²⁾, nec eam postea insulam, contra impetum Margaretae Reginae an. 1403 acriter defensam³⁾, nisi gravi pretio atque oneroso⁴⁾ reddidisse annales nostri auctores sunt⁵⁾. Certe Cruciferi ad id omne con-

1) "Till Gudz Riddare han tha foor,
En Häär af Littoga myekin ok stoor,
Foro the Gudz Riddare a hand,
Ok voro the kompne a thera Land."

Chron. Rhythm. maj. Script. Rer. Suec. T. I. Sect. II. p. 8.

2) *Er. Olai*, l. c. p. 113. "Rex Albertus . . . mutuo accepit a Dominis de Prussia XX. millia nobulorum, dans eis Gothlandiam in pignus." Cfr. *Chron. Rhythm. maj.* l. c. p. 59.

3) *Chron. Rhythm. maj.* l. c. p. 60. Cfr. *Dalin*, l. c. T. II. p. 602.

4) *Er. Olai*, l. c. p. 129. "Pro redemptione Gothlandiae XII. oras de quolibet Æstuario, vel stuba regni, nulla excepta."

5) A. 1398 tribus Regnis unitis cum *Militibus Cruciferis* de pretio IX. millium Nobilium Anglicorum (Rosenblier) pro redemptione Gothlandiae Helsingburgi convenit. Quod quidem pretium Margareta Regina moleste ferens, an. 1403 magnum exercitum ducibus Algotho Magni et Abrahamo Broderi ad Gothlandiam oppugnandam misit. Resistentibus vero fortiter Cruciferis, urbem Wisby tenentibus et se-

tulerunt studium, ut redditum mercaturæ in terris Septentrionalibus totum sibi suisque urbibus vindicarent, quamobrem etiam res *Wisbyenses* sub dominio eorum magis magisque deflorescentes videmus. Res *Wisbyenses* hoc modo inclinatas non magis, quam totius insulæ vastitatem, bellis effectam, sine dubio inter causas fuisse, cur *Cruciferi* minore eâ, quam ipsi mutuum dederant, pecuniâ sese satisfieri passi sint, veri videtur simillimum ¹⁾).

Sensim etiam in continentem Sueciæ irrepserant, non ferro et armis, sed auro et argento, bona et latifundia perplurima sibi comparantes. Seculo XIV. ineunte prædia amplissima in *Sudermannia* præcipue et adjacentibus insulis *Cruciferos* tenuisse novimus. Iam an. 1310 "Curia *Simonsö*", a recentioribus *Hörningsholm* appellata, cum insula *Mörkön* ceterisque in propinquo sitis, concessa fuit *Henrico*, *Borggravio* de *Stromberg*, domus *Teutonicorum* ²⁾), qui et suo et Ordinis sui nomine in actis

quente anno recentis exercitus a Borussia adventu corroboratis, Sueci fugantur et pax paullo post pecunia redimitur. Tandem an. 1408 totum pretium persolutum est. *Er. Olai*, l. c. p. 121. *Chronol. N^o XII.* ap. *Script. Rer. Suec. T. I.* p. 14. sq.

¹⁾ Cfr. *Er. Olai*, l. c. p. 150.

²⁾ Vid. Litteras Ducum *Erici* et *Waldemari*, datas *Helsingb.* an. 1310. ap. *Ericum Olai*, l. c. T. II. p. 89. Cfr. *Dalin*, l. c. T. II. p. 562, 573, qui eundem *Henricum de Plotzke* appellat.

publicis hujus temporis sæpius occurrit¹⁾. Iam ante an. 1355 prædia Årsta, Sandemar, Wendelsö cet. in paroecia Sudermanniæ Österhaninge, cum insulis adjacentibus Gålön, Ornön, Utön, Cruciferi possederunt, posteaque paullatim plurimos agros et fundos tum in eâdem tum in ceteris Sudermanniæ paroeciis Grödinge, Jerna, Kattenäs, Råby, Wagnhärad, Öja cet. tum in paroeciis Ostrogothiæ Westerlösa, Kimsta cet. suæ adjecerunt ditioni²⁾. Ab hoc inde tempore complures ordinis hujus Commendatores in Årsta sedes habuerunt, inter quos meminimus *Laurentium Trogh* an. 1355, *Reijneke van dem Wolde* an. 1389, *Gerhardum* l. *Gerdt van Walij* an. 1461. Nullo non tempore, quo sedes heic tenuerunt Cruciferi, novarum rerum cupidi, patriæ legum consuetudinumque ignari, in prædiis late diffusis continua ferme movebant jurgia cum proximis vicinis et accolis, ex. gr. cum ecclesia Cathedrali Stregnesensi de mola et piscatura in amne Täckhammarensi prope Nycopiam, judicio Regis Magni subjecta et demum an. 1355 di-

¹⁾ In transactione Regis *Birgeri* cum fratribus *Erico* et *Waldemaro*, Örebro an. 1308, partes non minimas habuit "Henricus Borggravius Domus Teutonicorum", qui locum inter Regis compromissarios tenuit "et assumpsit se procuratorum quod Magister Ordinis sui in Lijvonia et fratres præmissa omnia repromitterent." *Hadorph*, Bilag. till Rimchrön. p. 4.

²⁾ Cfr. Allegata ad calcem Dissert. nostræ, quæ, suis ex collectaneis historiam Sudermanniæ spectantibus excerpta, nobiscum benignissime communicavit Celeb. Præses, cui omnino observationes plurimas, præsentem illustrantes materiam, grati debemus.

remta; cum Domo Hospitali Skenningensi de mola in paroecia Öja Sudermanniae sita, quam "Gudz Riddaranna Fogatha *Otto Naghell* haffde hindrat och heffdat fra Spitalenom med vald och orät", quæ controversia litteris Boëtii Joannis Drotzeti, nomine Regis *Alberti*, an. 1573 adjudicata est¹⁾ nec non perpetuas fere habebant lites cum Pastoribus s. ecclesiarum Curatis de decimis, quas ex prædiis suis secundum morem patriæ et statuta ecclesiastica solvere debebant. Sic an. 1461 Gerhardus s. *Gerdt van Walij* "Gudz Riddare och *Komptare* (Komthur) i Årsta" decimas, quas de hocce prædio antecessores ejus curatis ecclesiæ Österhaninge dederant, privilegii ordinis sui innixus solvere recusavit²⁾. Omnia deinde, quotquot in Suecia Cruciferi habuere bona, *Erico Axelsson (Tott)* de Lagnö, inter optimates Sueciæ sui temporis clarissimo et opulentissimo viro, an. 1467 vendiderunt, numerata pecunia 5,700 Marcharum monetæ Rigensis, anno proxime sequenti soluta³⁾. Eodemque tempore de omni jure

1) Ex Membran. Lincop. ap. Rylander, Linköp. Bibl. Handl. T. II. p. 245.

2) Cfr. Allegata. Vid. *Tuneld*, Sv. Geogr. Ed. VIII. T. I. p. 591.

3) Allegata ad calcem. Cfr. Litteras Mareschalli Livoniæ, cum testimonio de soluta pecunia, nomine D:ni *Erici Axelsson (Tott)*, "van dem *Werdigen Cappil der Kerken* 2000 marcar. et *Evert van der Lijppen* civem Reval. 5,700 marcar. monetæ Rigensis, van des *Houes wegen to Artzste (Årsta)* und der *gudere wegen in Sweden belegen, de in uortiden unsern werdigen Orden togehoret hebben, de wij dem eddelen strengen . . Hr Erick Axelsone Ridder to Lagnno in Sweden &c. van unses Erwerdigen Hrn. Meisters und Ordens*

suo, quod ad Gothlandiam attinuit, in perpetuum insuper decesserunt. Peropportune accidit, ut hoc eodem tempore aliis curis atque negotiis a parte Polonorum impedirentur, quo minus bona sua in Suecia retinerent. Namque si testimoniis nostratium coævis, qui eos bonorum cupidos, præparcos, illiberales scripserunt, fides habenda sit, commoratio eorum in Suecia haud videtur fuisse expetenda.

Ultimo observamus, duo Ordinis Hospitalariorum Hierosolymitan. in Suecia sub Papismo floruisse Monasteria, primum scil. et primum in Eskilstuna, oppido Sudermanniaë, cui alterum in Kronobäck l. Mönsterås paroecia Smolandiaë, quinto ferme lapide Calmaria distante, deinde additum est. Ambobus Pontifices Romani Regesque Sueciæ largas concessere immunitates¹⁾. Reformatis in Suecia sacris sensim desolata sunt. Tempore vero, quo florere, non optimæ fuisse existimationis, testem habemus *Johannem Brask*, Episcopum Lincopensem, magnæ auctoritatis virum: . . . "The aff Spettalen, (Hospitalarii) ther inge gode regle holle. Nimis amari et dolosi, ther inthet annett gott göre uthenn stemple tvedrecht i riket, som her thill skett ähr"²⁾.

wegen verkaufft hebben." Revaliæ 1468 d. 28 Mart. ex Orig. Chartaceo, in Archivo illustr. Famil. Bonde in Säfstaholm. Cfr. *Bahr*, Conspectus Diplom. Præs. *J. H. Schröder*.

¹⁾ *Rhyzelius*, Monasteriol. Sviog. p. 201. Cfr. *Wieselgren*, de Claustris T. II. p. 50.

²⁾ *J. Brask*, in litteris ad D: num *Thure Jönsson* (Roos). 1526. Linköp. Bibl. Handl. T. I. p. 190.



ALLEGATA.

I.

Litteræ JOHANNIS VON MENGDEN genant OSTHOF, Ordinis Teutonicorum, Magistri Livoniæ, quibus Ordo Teutonicorum prædia Årsta, Wendelsö, Sandemar cet. in paroecia Österbanninge Sudermannia ERICO AXELSSON (TOTT) de Lagnö vendidit pretio 5,700 marcharum monetæ Rigensis. Dat. Revaliæ anno 1467 d. 31 Martii.

Ex Orig. Membran. Bibliothecæ Reg. Acad. Upsal.

Wy Johan van Mengeden, anders genandt Osthoff ¹⁾, Broder dwtsches ordens, Meyster to Lyfflande, Bekennen vnd Betugen opeinbar In deszem vnszem Breue Vor allen de en zeen horen odder lezen, dat wy mit rechten weten willen vnde vulborth vnser Erszamen medegebedigern deme Strengen vnd vasten wolgebornnen herrenn, Erick Axel- sone ²⁾ Ridder to Langnno vnd synen rechten Eruen desse naegeschreueue gudere in Sweden gelegen de vnsze Orden aldar aldus lange vnd van Oldinges mit aller tobehoringhe allerleye gerechticheyt Vricheyten, Priuilegien Geistlicker vnd wertlicker Rechte Fry vnd quwydt genaten Vnd gebrucket hefft nah vthwisinge Pawestlicke vnd keyszerlicke Vnd sust Konighe, Herrnn Vorsten vnd Prelaten Priuilegien vnd gnade de vnsze Orden to dessen gudern, yegehatt hebben Vor Söszdusint marck mijn Dreehundirt Rigescher muntte alsze nw alhir In Lyfflande genge vnd geve Is, rechtt vnde reddelicken vorkoufft hebben Interste Ime ker-

¹⁾ Johann von Mengden, genant Osthoff, Meister zu Liffland an. 1459—1469. Cfr. M. Brandis, Collectan. ed. Paucker, inter Monumenta Livoniæ antiqua. Rigæ 1842. T. III. p. 6.

²⁾ Tott de Lagnö (prædio in Sudermannia paroec. Aspön) secundis nuptiis uxorem duxit Helenam, sororem Stenonis Sture senioris. Improbis (?) decessit 1480; ejusque ex fratre nepos Axelius Laurentii Tott salutatur Dominus de Årsta 1512. (Membran. Bibl. Ac. Ups.)

spell to Osterhaninge, de Hoeff to Arste Is veer marck landes Sunder de dorperre de men mit des haues haken verth, Item In Stummelinge vieff ärtige landes, Item Blyste twelff ore landis, Item Beteboe thyn ärtige landes, Item Broboe eluen ärtige landis, Item Wendelsee twelfftehalue ärtige landes, Item Gudoe achte ärtige landes, Item Welmeste Söesz ore myn eyn ärtige [landes], Item Carpenorboe Seuentyn ärtige landes, Item Sandemar veer ärtige landes, Item de dorperre In Oesterhaninge vpp Vtoe ³⁾ twe houe renten Söstehalue mark dree pundt botteren veer houere vnd eynen hazen Item Ede rentet thyn ore Item Warnoe renttet veertyn ore vnd eyn pundt botteren Item Crakemode eyn ärtige mijn den eluen ore Item Sindeboe Twintich øre vnd eynhalff pundt botteren Item Leerwasse twe marck anderhalff pundt botteren Item y Langewick twe dorperre rentten veer marck vnde dree pundt botteren Item Hesselmar twelff ore anderhalff pundt botteren Item Siluerenborch rentet twelff ore Item Swmack renttet twelff ore vnd eyn pundt botteren Item Auasse veertyn ore anderhalff pundt botteren Item Browick renttet eyne marck eyn pundt botteren Item Vxenoe renttet twintich ore vnd anderhalff pundt botteren Item Lyack veertyn øre vnd anderhalff pundt botteren Item to Asschewick vieff houe Iuwlick hoff renttet twevndtwintich øre vnd dordehalff pundt botteren Item Stekeszholm renttet thyn ore vnd anderhalff pundt botteren Item Hasselynge renttet eyne marck Item desse vorge-schreuenen dorppere geuen Iuwlick twe eynen haszen Vnd veer houere Item In deme kerspell to Grodinghe dat dorpp to Worste Is Seuen ärtige landes Item Malma vieff øre landes Item eyn dorpp renttet eyne halue marck Item ime kerspell to Gerne ⁴⁾ Item Asana dree ore landes Item Nordeboe veer ärtige landes Item to Rameste twe ärtige landes Item ime kerspell to Rattenes ⁵⁾ twelff øre landes, Item ime kerspell

³⁾ Utön.

⁴⁾ Öfver- och Ytter-Järna.

⁵⁾ Annexa ecclesiae Frustuna Sudermanniae.

Tho Rauwe 6) *Item to Spanghen Soesz ore myn eyn ärtige landes Item ime kerspell to Helge* 7) *Tho Thune twelff ore landes, De Mole* 8) *renttet dree pundt korn Item Werffe Sösz ore landes Item dat dorpp renttet eyne halue marck vnd eyn pundt Botteren Item ime kerspell to Wagneherdt* 9) *To Ada twe vnd dortich ärtige landes Item Appelacker renttet veertyn ore Vnd eynen ärtige vnd eyn lispundt Botteren Item Ostena Sösz ore vnd eyn pundt Botteren Item Lutteboe renttet Sösz ore vnd eyn punndt Botteren Item Krümmell Sösz ore vnd eyn pundt Botteren Item Stockwick eyne mark vnd eyn pundt Botteren Item Schonekerre negen ore eyn pundt Botteren Item Lagenes twe ore vnde eyn pundt botteren, desse vorgeschreuenen dorppere Iuwlich twe houere Item to Sille vnd to Bullen achte ärtige landes Item In OesterGotlande Item to Westerloze* 10) *dree attinge vnd eyn dorpp renttet Sösz ore Item Solstede Eluen attunge landes Item In den Hagen thyn ore Item Hilgeslach twelff ore Item de mole twe Tonnen korns twe ore penninge Item Leer Im kerspell to Kimnesle* 11) *eyn attunge. Desse vorgeschreueene dorppere vnd gudere sollen vnd moghen de vorbenomede her Erick Axelsone vnd syne Erffen besitten vnd brucken myt aller nutt vnd tobehoringhe vnd gerechticheit alsze dat touornne unsze orden edder yemandt aller vryest gebrucket Is nictesnicht vthgenomen edder bwtenbescheyden myt lande Acker Erde Hauesmerken, Molen, Beken, Strome, Molenstede, dorpperen, dorpperenstede, hoyeslege, Watere Visscherye Vogelye wolde holttinge Broken, Sipe vnd allerleye tobehoringhe vnde framen wat names man dat nomen eddir heyten kan alsze unsze orden yewerlde allirvryest beseten hefft gantz vnd vullenkommen dem ergenanthen her Erick Axelsone vnd synen Erffenen vpgedregen vnd sunder allen herrenboth rechtessz-*

6) Råby.

7) Helgona, annexa ecclesiae Nykopensis.

8) Scil. mola ad amanem Täckhammarenses sita.

9) Wagnhäräd

10) Westerlösa.

11) Kimstad.

dwangk Sunder alle schuttinge eddir Invall Geistlickes edder wertlickes vnd sunder alle wedderstalt vull vnd all togeeygent vnd In crafft deses vnser Breues vorkoufft vnd ouergeantwordt hebben dar wy vnd vnse orden nummer willen moghen eddir sollen vnzaken by eren vnd truuen antzwar myt Geystlicken oste wertlicken rechten In allen ewighen tokomenden tyden. Ok so geloue wy vorbenomede Johan van Mengeden, Meister to Lyffland etc. desse vorgeschreuenen gudere Fry vnd quit vnuorsatt vnd vnuorpandet towarende vor alle ansprake vnd vorth In aller mathe vnbesweret vnuorsplittert vnde vnuorrucket. Vorthmer vplate wy ock vpdregghen dem vorbenomeden her Erick Axelone vnde synen Erffen alle desse vorbenomeden gudere vnd alle de gerechticheydt vnd ansprake de wy vnd vnse Orden ye hebben moghen, oste konnen In Sweden eddir vpp Gotlande¹²⁾, de vns Vnd vnserem Orden nw eddir Inuortyden affgedwungen vnd gedrungen syn to synem Schonesten vnd besten toforderende vnd Intomanende myt Geystlicken oste wertlicken Rechte. Des tor Tuchnisse der warheit vnde vaster vorwarynghe deser vorgeschreuenen zake hebbe wy Johan van Mengeden, Broder dwtsches Ordens, Meister to Lyfflande etc. Vnser Amptes Ingezegill mit rechten weten vnd willen vndenne an dessen vnser Breff laten hangen, Vnd hebben hirtho gheheyten Vnd beuolen Johan Spar Broder dwtsches Ordens, kompthur to Reuall, dat he synes Ampts Ingezegill ock tor witticheit hirann hefft laten hangen dessen vnser Breff De Gegeuen vnd Geschreuen Is to Reuall Am dingesz dage In den hilligen Passchen Ime Jare vnser Herrnn Dusinth veerhundert vnd Seuen vnde Sosztich.

Sigilla duo adsunt, scil. 1. S. Magistri Liuoniae.

2. S. Commendatoris Reualiae.

¹²⁾ Cfr. quæ supra monuimus in Proleg.

II.

Litteræ BIRGERI Archiepiscopi Upsalensis, de decimis prædii Årstad in paroecia Österhanninge Sudermanniæ a D:no LAURENTII TROGH ordinis Teutonicorum Commendatore, annuatim levatis. Dat. Stockholm. an. 1382 d. 15 Septembr.

Ex Orig. Membran. Bibl. Reg. Stockh.

Noverint universi presentes literas inspecturi, quod nos Birgerus permissione diuina Archiepiscopus Upsalensis, testimonium veritati perhibentes, dicimus et publice presentibus confitemur, nos cum olim essemus Canonicus Strengenensis et ecclesiam parochialem Östrahaninghe ut Curatus teneremus, decimas prediales ad curatum spectantes de curia Arista annuatim isto modo leuasse, quod duobus annis ex quadam conuencione facta inter nos et virum religiosum Dominum Laurentium dictum Trogh Cruciferum, protunc Commendatorem ordinis Sancte Marie Theutonicorum, quolibet videlicet dictorum duorum annorum percepimus quatuor pund Annone et duo pund Siliginis: postmodum vero, de conuencione premissa non contenti, recessimus ab eadem. Tercio autem anno et ultimo nostro ibi idem Commendator nobis decimas illas in agris dimisit leuandas; ex quibus recepimus decem talenta, tam in Siligine et tritico, quam annona. Indubitanter eciam scimus et possumus in verbo dicere veritatis, quod Dominus Frenderus Canonicus Strengenensis et Dominus Ulpho predecessores nostri, Curati dicte ecclesie, nosque et Dominus Hartleuus, nunc Episcopus Arosiensis, qui nobis immediate successit, prenotatas decimas de prefata curia Arista eodem iure quo de aliis prediis eiusdem parochie leuauimus per viginti quinque annos et ultra, in pacifica semper existentes possessione percipiendi easdem nullo Commendatore, Dapifero aut alio quoquam ex parte dicti ordinis ullo unquam tempore reclamante tacite vel expresse. In cuius nostre confessionis evidenciam Sigillum nostrum presentibus duximus appendendum. Datum Stocholmis, Anno Domini M^o CCC^o LXXX secundo, in crastino exaltacionis sancte crucis.

(Sig. adest).

III.

Litteræ MAGNI Regis Sueciæ, Norvegiæ et Scaniæ de lite circa Molendinam Täckhammarensen in Sudermania, inter ecclesiam Cathedralen Strengnesensem et D:um LAURENTIUM TROGH Ordinis Teutonicorum Commendatorem de Årsta. Dat. Nycopiæ an. 1555 d. 1 Febr.

Ex Apogr. Broocman.

Wi Magnus meth Gudz nadhum Konunger Suerikis, Norighis och Scanæ Görum allum mannum konnught meth thessu brewe, at wi dómum till domkirkiunne i Strengenes enæ qvern i Thekhamars fors, hwilkin henne hafuer tilhört swa lenge, at vmyunnis hæfth ær a komin, oc herræ Trogh Commendator i Arstæ fore henne orætlighe qualde. Oc förbiudhum allum mannum at hindræ the quern fore samu kirkiu, undir XL marka sak til warræ Ensak. Datum Nycopie in presencia nostra Anno Domini M. CCC. LV:to in profesto Purificacionis beate Virginis sub sigillo nostro ad causas ¹³⁾.

¹³⁾ Adest Birgeri Ulfson militis, Boetii Jonsson Drotzeti, Joannis Hinzason Prioris monasterii Eskilstunensis nec non Consulis et decurionum oppidi Thorsærghe (Thorsbælla) Vidisse de anno 1584 III. Kal. Febr. (Orig. Membran. Bibl. Reg. Stockh.). — Cfr. Niclis Gedda, Riddares Gåfvobref till werdbelikom oc hedherlikom fadher medh Gudhi Biskop Thord oc hans Domkyrkio i Strengenes "til Biscopsens boordh" en ström oc ett Aalafiske i Thekhammars fors, hvilken som ligger widher Biscopsens Qvern af enom steen oc in a thet landith som Gudz Riddarna ægha godzet ther kallas Tuna. Dat. Nycopiæ an. 1581 d. 12 Jul. (Orig. Membran. Bibl. Acad. Upsal.).

TRU Raamatukogu



1845